

mus Christum voluisse efficaciter conservationem Religionis suæ in mundo, hanc rationabiliter, cum debitâ divinæ Providentiae submissione, inferre debemus conclusionem : *Auctoritas in docendâ Christi doctrinâ infallibilis, à Christo instituenda fuisse videtur.*

## 20. — OBSERVATIONES

### ad solvendas objectiones.

Qui hanc primam assertionem nostram impugnant, vel probare intendunt Scripturam aut Inspirationem satis, imò et melius quā Auctoritatem, facere ut Religio Christi pura et integra conservetur in mundo ; — ita præsertim priores Protestantes ; — vel — conversâ fronte, cum recentioribus, — contendunt minimè de intentione Christi esse ut Religio sua, eo quo existimamus sensu, conservetur.

#### I.

Ad 1<sup>um</sup> porro, sive *textus* sive *rationes* afferre conantur in commendationem *Scripturæ*, vel *Inspirationis* et rejectionem *Auctoritatis*. Verūm

1. — Ad sufficientiam *Scripturarum probandam*, ea quæ è *Script-*

*vinæ ordinationis signum apud Religionem Christianam cerneret, auctorem hujus estimabat non alium fuisse ac *Sapiēntem quendam beneficūm (un sage bienfaisant)*.* — Standlin : *Magasin de l'hist. de la religion*, 3<sup>e</sup> p., p. 83, cit. ap. D. Nicolas : *Etude sur Maine de Biran*, p. 211 ; vel ap. Hœnninghauss : *la Réforme contre la Réforme*, t. I, ch. v., p. 420.

Atque hinc videre est quonam verissimo sensu è Protestantismo transcendunt sit ad Rationalismum, scilicet, *non quidem conclusione logici directe*, ut iis placaret qui nihil certi nisi per auctoritatem Ecclesie haberi posse contendunt (V. suprà, n. 7, not., et *Tr. de verâ Relig.*, *Append. V<sup>am</sup>*) ; sed *conclusione logici indirecte*, prout modò exposuimus ; — *præsertimque propensione morali*, quā nempe, excusso Ecclesie jugo, pronum est ut exentiatur etiam jugum Evangelii. — Eadem omnino sunt observanda de transitu rationalismi ad atheismum vel universalem scepticismum (Cfr *Tr. de verâ Relig.*, p. 46, n. 22 ; p. 65, n. 28 ; p. 100, n. 44).

*turis allegantur*, testantur quidem quemque cognoscere posse è *Scripturis divinam legationem Christi* (v. g., *Joan.*, v. 39 ; *xx*, 31 ; *Act.*, xvii, 11 ; *II Tim.*, iii, 15), vel etiam *quædam ex ejus dogmatibus aut præceptis*, non autem ideò *omnia quæ cognosci voluit Christus*. — Item et testantur *omnem Scripturam divinitus inspiratam esse utillem ad docendum...* (*II Tim.*, ibid. 16), non autem ideò esse *sufficientem* ad discendum per se totam doctrinam Christi ; nec etiam determinant quænam sint illæ *Scripturæ divinitus inspiratae* (1).

Similiter et de iis quæ è *Traditione* allegantur adversum nos testimoniis. — Patres nimirū interdum dicunt *ea quæ scripta sunt, sufficere et satis aperta esse*, — sive, nempe, ad probandum Christum à Deo venisse (ita, v. g., de prophetiis, S. Justin. *Dial. cum Tryph.*, n. 55 ; et S. Theoph. Antioch. *Ad Autolycum*, passim : itemque de miraculis, S. Augustin., *Tr. XLIX in Joan.*, n. 1 ; et S. Cyrill. Alex., L. XII in *Joan.*, cap. ult. ; quos ambos V. cit. ap. Nat. Alex., op. jam indic., *Theol.* Migne, t. XXVI, p. 949, 950) ; — sive ad ostendendum ubinam sit vera Christi Ecclesia, (ita auctor *op. imperf. in Matth.* inter opp. S. J. Chrysost., *Hom XLIX*, cit. *ibid.* p. 977) ; — sive ad excitandum in nobis fidem, spem et charitatem (ita S. August. *De Doctr. Christ.*, l. II, c. ix, citat. cum aliis ejusdem argumenti locis *ibid.* p. 987) ; — imò et forsitan ad præbendum objecta illarum virtutum maximè necessaria (S. August. *epist. cxxxvii ad Volus.*, n. 3, cit. *ibid.* p. 962). Nequaquam autem dicunt *Scripturas sufficere ad præbendum omnia quæ necessaria sunt*, ut scopus Christi verè obtineatur, i. e., ut non solùm talis vel talis homo salutem consequi ab-

(1) Et illud quidem, sicut et cæteras quas suprà n. 17, enumeravimus difficultates, adversus patronos *Scripturæ exclusivos* urgent *Inspirationis privatae* defensores, in hoc nobis obsecundantes. Ita nempe Robertus Barclaius inter *Quakeros* præcipius, in sua *Theologia verè christianæ apologiâ*, thesi 3<sup>a</sup> in fine : « ... Canon *Scripturæ*, videlicet quod sint præcisè tot libri, nec plures, nec pauciores, non potest probari *Scripturæ...* » Exempli gratiâ quomodo potest Protestans alicui neganti Jacobi epistolam esse canonicam, per *Scripturam probare* ?... Ad hanc igitur angustiam necessariò res deducta est, vel affirmare quod novimus eam esse authenticam eodem Spiritu testimonio in cordibus nostris, quo *scripta erat* ; vel Romam reverti dicendo : *Traditione novimus Ecclesiam eam in canonem retulisse*, et Ecclesiam infallibilem esse : medium, si quis possit, inveniat. » V. et fusiùs ap. Möhler : *Symbolique*, § LXV.

solutè possit, sed Religio Christi, qualem Christus certè conservari intendit, conservetur in terris (Cfr mox dicenda n. 21) (1).

II. — Item ad spondendam *inspirationem* : ea enim quæ è *Scripturis* allegantur, haud difficilè explicantur sive de assistentiâ promissâ Apostolis (Joan., xiv, 26) vel etiam Ecclesiæ universim sumptæ (ibid. 16), minimè autem singulis ejus membris, præsertim si ab eâ se-parentur, — sive, ut observat Suarez (*De fide, disp. IV, s. 1, n. 7*), de interno spiritu et auxilio gratiæ necessario ad credendum ac prudenter judicandum (Jerem., xxxi, 33; I Cor., ii, 15; I Joan., ii, 27), non autem de illuminatione internâ quæ nos ab exteriore magisterio ad ediscendam Religionem dispensaverit; — maximè cum facta ostendant res se longè aliter habere.

Nec aliter in *Traditione Patres*, qui nempe gratiam testantur *necessariam* esse ad intelligentiam Scripturarum, non autem dicunt *suf-*

(1) Cæterùm, non obliviscendum est, sicut infrà è multis textibus satis declarabitur (V. n. 23), Patres, dum fideles ad lectionem Scripturarum quasi ad aliquid sufficienter apertum ita incitant, minimè se sistere in hypothesi Protestantium, minimè abstrahere ab auctoritate Ecclesiæ, quam semper, è contrà, adstare supponunt ut *quisquis falli metuit obscuritate quæstionis* alicujus, *eamdem consulat*, quam sine ullâ ambiguitate *sancia Scriptura demonstrat* (S. August. *Contra Crescon*. l. I, c. xxxiii infra cit.). Ita tantum *regulam fidei* quisque habere poterit adæquatam (V. S. August. *De Doctr. christ.*, l. III, c. 1, — cit. ap. Nat. Alex. p. 961; et cfr *Enarrat. II* in Ps. XXX, infra cit. n. 25). — Neque certè dubito Patres saepè, quando *Scripturas* tantum nominant, totum revelationis christianæ organum intelligi velle, i. e., non *Scripturas* solas sed *Scripturas* cum *Traditione* et *interpretatione Ecclesiæ*: Ea enim est synecdoche saepè hodieum inter *Catholicos* usitata, ubi non à Protestantibus cavendum habent. Hoc sensu Patres interdum *Scripturas, divinas leges, divina eloquia, etc.*, simpliciter dixerunt *nostræ doctrinæ regulam* (S. August. : *De Bono viduit.* c. 1, — cit. ap. Nat. Alex., p. 986), *vel exactam rerum omnium lancem ac normam et amussim* (S. J. Chrysost. *In II Cor. Hom. XIII*, in fine, — cit. ibid. p. 977); et concludere potuerunt, ubi quid nullo *divinorum eloquiorum* documento clarescere potest, hominum *illud sine dispendio promissæ salutis ignorare posse*. (S. August. : *De Peccatorum meritis et remissione*, l. II, in fine, cit. ibid., p. 989). Hac simplici observatione Patres facilè secum conciliantur, et omnes cadunt Protestantium tricæ. Cfr et in hoc Em. Franzelin : *De div. Tradit. et Script.*, th. XIX.

*ficere*. Ita speciatim S. Justinus, à quibusdam adversariis allegatus : *Dial. cum Tryph.*, n. 92 et 119.

III. — *E ratione*, ut putant, *theologis*, et consequenter, ut videatur, ad ideam Lutheri fundamentalem (1) :

**Objiciunt 4o** : « Homines errare possunt; — Atqui in viâ auctoritatis semper Deum inter et nos adsunt homines; — Ergo via illa tutò teneri nequit.

» E contrà, verbum Dei errare non potest; — Atqui in lectione *Scripturæ sacræ* habetur verbum Dei solum; — Ergo via hæc potest tutò teneri. »

**Respond.** ad 1<sup>um</sup> argumentum : Homines errare possunt; *Dist.* : ..... quando non assistit Deus : *Conc.* (2); ..... quando Deus assistit : *Nego*. — Item, *distinguo minorem in sensu majoris*; siquidem in nostrâ auctoritatis viâ intersunt homines sed quibus Deus assistit; — — et proinde *nego consequentiam*.

Ad 2<sup>um</sup> argumentum : Verbum Dei in se errare non potest; *Con-*

(1) V. Mœhler : *Symbolique*, § XLIV, t. II, p. 92.

(2) Id tamen non concessum sit in sensu absoluto Lutheri; qui nempe, quum, falsâ suâ theologiâ delusus, naturam humanam per peccatum originale etiam essentialibus nudatam reputaret (Cfr, in fine Tr., *Append. I<sup>am</sup>, II<sup>o</sup>*), inde non modò liberi arbitrii sed et rationis ipsius extinctionem concludere debebat; unde reapse discipulus ejus Melanchthon : « Sensim irrepsit Philo- » sophia in Christianismum, et receptum est impium de libero arbitrio dog- » ma. — Usurpata est vox *liberi arbitrii*, à divinis litteris, à sensu et » judicio spiritus alienissima; ... additum est à Platonis philosophiâ voca- » bulum *rationis* æquè perniciosissimum. » (Melanchton : *Loci theol.* cit. apud Mœhler : *Symbolique*, t. I, p. 18. — Cfr Dœllinger : *La Réforme, son développement intérieur*, etc., t. I<sup>r</sup>, p. 450 et ss.; — Perrone : *De analogiâ rat. et fidei*, n. 9.) — Ex hâc igitur absolutâ hominis ad quodlibet verum aut bonum impotentiâ, Lutherus, hinc Jansenistis, illinc fideistis præludens, jam concludit verum esse à solo Dei verbo quærendum, sicut et bonum à sola Christi justitiâ exspectandum, amoto utrinque, ut putat, omni hominum ministerio, sed suo, velit, nolit, servato. Sic suam Ecclesiæ negationem cum suo de naturâ humanâ dogmate connexam habere putat: atque è nimiâ naturæ humanæ depressione ad nimiam superbia humanæ exaltationem transit: quâm futile et absonè, satis ostendimus in respons. ad object. (Cfr Mœhler, loco citato).

*cedo*; — sed verbum Dei est ab homine percipiendum, et homo in hoc, nisi Deus assistat, errare potest. — Item, *distinguo minorem in sensu majoris*; siquidem in Scripturâ sacrâ habetur verbum Dei sed ab homine percipiendum (1); — proindeque iterum *nego consequentiam*.

**Objiciunt 2º :** « Illius etiam auctoritatis cui assisteret Deus, vox ab homine individuo erit percipienda. Porro in hac percipiendâ individuus quisque errare poterit. Ergo neque hæc via tutò potest teneri, nisi forsitan unicuique etiam individuo Deus assistat; — proindeque, nisi ferè in sistema *inspirationis privatae* recideris, sistema *auctoritatis* nihil tibi proderit (2). »

**Resp. :** Etiam in auctoritatis voce percipiendâ individuus quisque poterit non rectè attendere proindeque errare : *Concedo*; — sed multò difficiiliùs quām in percipiendo verbo Dei immediatè è Scripturis. Auctoritas enim, ut pote vivens, seipsam pro temporibus et locis explicat; non item verò Scriptura. — Et, de facto, illa fidei unitas ac permanentia quæ nec per Scripturam nec per inspirationem apud Protestantates procurari potuit, apud Catholicos per auctoritatem solam sufficientissimè procuratur, ut omnes nōrunt.

**Objiciunt 3º :** « Religio mosaica una permansit saltem à Moyse usque ad Christum. — Atqui, juxta multos, non vigebat in eâ auctoritas infallibilis; siquidem controvertitur inter theologos utrum Synagoga donata fuerit infallibilitate. — Ergo non adeò patet unitatem fidei non posse absque auctoritate infallibili permanere. »

(1) Hinc rectè D<sup>s</sup> Bost, hodie minister protestans, ex iis qui *liberales* se jactant, loquens de recenti quodam pastore fanatico, qui sibi proposuerat *jam non audire homines, sed Biblam solam*: « Sans doute c'eût été » parfait s'il n'avait pu n'entendre que la Bible; mais en lisant la Bible, il » la lisait toujours en compagnie d'un homme, et cet homme c'était lui » même.» (*Bulletin de S. François de Sales*, janv., 1864, — art. D<sup>r</sup> Martin : *Lardonisme et Irvingisme*).

(2) « L'infalibilité est nécessaire partout, inquit Scherer, ou elle ne l'est » nulle part..... Vous n'avez rien gagné si l'évêque n'est pas infalible » en expliquant les Conciles à mon curé, si mon curé ne l'est pas en me » transmettant les explications de son évêque, si moi-même enfin je ne le » suis pas pour comprendre les paroles de mon curé. » (*Conversations théol.* dans les *Mélanges de Crit. Relig.*, p. 115).

**Resp. :** 1º li etiam Theologi qui infallibilitatem Synagogæ abnegant, admittunt Deum illam supplevisse per frequentissimum et quasi continuum Prophetarum ministerium, i. e., per *inspirationem* quibusdam hominibus datam cum signis externis quibus probabatur. Ergo id tantum concludendum foret, auctoritatem videlicet infallibilem ad conservationem alicujus religionis posse suppleri per inspirationem (1). — Verùm, quod fieri poterat apud parvum quemdam populum, verisimiliter non absque inconvenienti fieret apud omnes omnium sacerdotiorum gentes, nec certè, de facto, à Deo sit apud populos christianos; ideòque necessaria apud eos remanet, prout probavimus, auctoritas infallibilis.

2º Imò, juxta plurimos, ipsa Synagoga et speciatim Pontifex qui huic prærerat, infallibilitate donabatur non quidem in perpetuum, sed usquedum Messias prediret et susciperet sibi auctoritatem (2). — Et certè, in Veteri Testamento, non solum *ad legem et ad testimonium* (Is., viii, 20), — uti Protestantes semper clamitant, — sed etiam *ad Sacerdotes et ad Pontificem qui præsidet*, remittitur in omni controversiarum genere, etiam *de Lege*, cum districtâ obligatione obediendi (Deut., xvii, 8 et ss.; cfr II Paral., xix, 8 et ss.; nec non Josephum : *Contra Appionem*, l. II, n. 28); — quemadmodùm ferè, in Lege novâ, remittitur ad Ecclesiam et ad Apostolos (Matth., xviii, 17).

## II.

**21.** Huc usque veteres presertim Protestantes. — Recentiores autem viam ingressi sunt omnino contraria, fatentur quidem (nec enim præ factorum evidentiâ dissideri possunt) nullum tantisper compleatum doctrinæ christiane corpus cum aliquà unanimitate conservari posse solà ope *Scripturæ*, quæ nimis obscura est, vel *Inspirationis*, quæ non est nisi chimæricum fragmentum; ideoque omnes ferè suprà allatas probationes concedent; sed à nostrâ tamen refugient conclusione: contendunt quippe non esse de intentione Christi ut adeò compleatum doctrinæ corpus in mundo subsistat, sed tantum ut per paucæ maneat veritates sive ad satisfactionem hominum naturalem, sive ad superna-

(1) V. Regnier : *De eccl.*, ap, Migne Theol., t. IV; p. 447; — Perrone : *De verd Rel.*, p. II, n. 7 et ss.

(2) V. *Appendicem II* mox indicandam, cum auctoribus illic citatis.

turalem eorum salutem maximè necessariæ (1), vel etiam ut quidam tantum vigeat *sensus religiosus* aut caritatis universalis affectus, in quo totam reponunt Christianismi essentiam (2), — cæteris disputationi ac divisioni è divinâ dispositione permisso (3).

(1) Ita Claude, Jurieu et recentius D. Guizot, suo quisque modo ; — de quibus V. infrà, in 2<sup>a</sup> Tractatùs parte, ubi de systemate *articulorum*, ut aiunt, *fundamentalium*.

(2) Ita minister Channing *Unitariorum* apud Americam patronus : « Le Christianisme n'est pas un dogme, mais un esprit : son essence est l'esprit de son divin fondateur : peu importe à quelle église un homme appartient ou à quelle formule il souscrit ; rien n'est important que l'amour, l'adoption et la poursuite de la perfection morale qui éclate dans la vie » et les enseignements du Christ. » !..... *Lettre sur le Catholicisme*, 1836. (Œuvres de Channing : *Le Christianisme unitaire* (trad. par. M. Ch. Laboulaye) p. 204.

(3) « Ipse Dominus Ecclesia vult varietatem ; hanc nisi voluisse, clariū esset locutus, » inquiunt Protestantes Darmstadienses cit. ab Em. Franzelin : *De div. Tradit.*, p. 47. — Et jam, occasione *Jubilai Genevensis*, a. 1835, ad suprictitum Channing scribebat Sismondi : « Il y avait déjà longtemps que l'Eglise de Genève avait proclamé son principe de n'admettre aucune autorité humaine, aucune profession de foi à côté de la Bible, d'appeler chacun à l'entier exercice de sa raison et de son sentiment religieux, en commentant, en s'appropriant la révélation. Mais il me semble que ce principe n'a été bien exposé, bien compris qu'à l'occasion de cette fête, et rien ne pouvait être plus touchant que cette assemblée de théologiens venus des points les plus éloignés de notre Europe, différents en dogmes plus encore que par leur langage ou leurs pays, mais tous unis dans la charité, tous proclamant le grand principe de l'examen, tous reconnaissant que le résultat de cet examen ne peut amener l'unité des croyances, tant les formes de notre esprit, les prédispositions de notre caractère modifient pour nous-mêmes la vérité. » (*Lettre du 7 sept. 1835*, cit. ap. diarium protestanticum *Le Lien*, 12 Julii 1856, atque inde ap. DD. Dechamps : *Entretiens sur la Démonstr. cathol.*; 3<sup>e</sup> entr.) — Similiter et in Synodo ecclesiarij reformatarum Galliae habita Parisiis, sept. 1848, cuius narratores protestantes et ipsos audire est hoc ipsum testantes : « Aux yeux du plus grand nombre, inquiunt, l'excellence d'une église réformée est dans une indépendance absolue de tout ce qui ressemble à une foi positive quelconque. Son premier caractère est de favoriser une variété infinie de doctrines ; elle doit édifier le monde par le spectacle de la diversité pacifique d'opinions contradictoires, sans qu'il en résulte un choc ou une lutte. La Réforme n'a pas proclamé d'autre doctrine que l'a-

Verum omnis illa theoria merà principii petitione nittitur, et ad quandam devenit Christianismi ideam homini verè religioso minimè admissibilem. — Et quidem

I<sup>o</sup>, merà principii petitione nittitur. Nempe, inquit, si Christus voluisse reapse Religionem unam et completam subsistere, « clarius fuisset locutus, » per *Scripturam scilicet vel Inspirationem*.

**Resp. :** *Dist.* ; ... si non alias adfuisse modus instruendi homines et providendi conservationi Religionis : *Conc.* ; — ... Si autem alias aderat : *Nego*. — Atqui alius reapse suppetebat, imò et maximè conveniens, ut suprà ostensum est, *Auctoritas* videlicet, quam non nisi gratuitò et merà principii petitione adversarii prætereunt. — Ergo etc... (1).

II<sup>o</sup> Ad quandam devenit Christianismi ideam homini verè religioso minimè admissibilem; quippe quæ aperè contradicit illi Religionis idæ quæ legitimè concipere est tum à priori è sensu communi hominum, maximè autem Christianorum, tum à posteriori è Novo Testamento tantisper perfecto aut Patrum traditione tantisper delibata.

Juxta illos nempe quos intendimus protestantes, Christianismus qualiter Christus in terris radicari et subsistere intendit, in solo consistit *sensu religioso* aut charitatis affectu, vel, ad summum, iu per paucis veritatibus sive *naturalis* sive *supernaturalis* forsitan ordinis. — Contra quos

**Resp. :** 1<sup>o</sup> à priori, si Christianismus solummodo in sensu religioso aut caritatis affectu consisteret, nec legitimis mentis humanæ postulatis expressè responderet, non esset certè *religio* qualem homines expetunt (V. *Tr. de verò Rel.*, n. 23) (2) : — imò nec ille ipse

» *bolition de la doctrine*, et une Eglise qui professe un dogme quelconque, » est entachée de catholicisme. » *Le Synode réformé de 1848, par deux témoins oculaires* (MM. de Pressensé et Léon Pilat), cit. ap. R. P. Nampont : *Etude de la doctrine cathol. dans le Conc. de Trente*, p. 62.

(1) Et in hoc sanè non multum differunt ii Protestantes tum ab istis Rationalistis qui nihil ultra veritates rationales curant, eò quod *viam revelationis* arbitrariè eliminārunt (V. in *Tr. de verò Relig.*, n. 28, p. 63), tum ab illis Positivistis qui nihil etiam ultra facta sensibilia attendunt, eò quòd arbitrariè ipsam recusārunt *viam rationis*. — In iis nempe omnibus *Indifferentismus* est. (Cfr *Tr. de verò Rel.* loco cit.).

(2) Hinc rectè D. Guizot (*Médit. sur l'essence de la Rel. chrét.*, p. 6) :

sensus et affectus subsisteret qui non certis fundaretur dogmatibus et certis determinaretur præceptis (1).

Item, si Christianismus quibusdam tantum problematis responsum afferat in quantum illud expeditur à natura, non erit religio propriè *supernaturalis*, quæ homines supra naturæ aspirationem eveniat (V. *Tr. de verâ Rel.*, n. 13), prout communiter apud Christianos tenetur (2); — vel, si id tantam addat supra exigentiam naturæ, quod strictè necessarium est *necessitate*, ut aiunt, *medii* ut homines individui salutem *supernaturem* consequi possint, non erit religio *completa*, i. e., complexio dogmatum et officiorum quibus vita hominum tota regatur (V. *Tr. de verâ Rel.*, n. 4), prout non modò Christiani, sed et omnes penè homines à suâ quique religione expectare solent (3).

» Certainement le sentiment religieux..... est essentiel et nécessaire à la religion; mais la religion est autre chose encore, et bien davantage. » .... L'homme pense en même temps qu'il sent : il veut connaître et croire en même temps qu'aimer; ce n'est pas assez, pour lui, que son âme s'émeuve et s'élève; il a besoin qu'elle se fixe et se repose dans des convictions en harmonie avec ses émotions. C'est là ce que l'homme cherche dans la religion.... Si elle ne résout pas les problèmes moraux qui agitent sa pensée, elle peut être une poésie; elle n'est pas une religion.... Les hommes ne se paient pas d'aspirations stériles et de beaux doutes..., et le sentiment religieux ne sera jamais la religion suffisante du genre humain. »

(1) Nec minus rectè idem pergit (p. 14) : « Que les hommes sérieux qui qui n'ont pas déclaré à la religion chrétienne une guerre à mort, et qui l'admirent en repoussant ses dogmes fondamentaux, y prennent garde : les fleurs dont le parfum les charme, se faneront bien vite, les fruits qu'ils trouvent si excellents, cesseront bientôt de se produire, quand ils auront coupé les racines de l'arbre qui les porte. » — Ut quid verò idem D. Guizot, paulò post, essentiam Christianismi restringit ad solutionem paucorum problematum naturalium, ut ea vocat, seu potius supernaturalium, quæ omnino arbitriè determinat, sicuti postea, in 2<sup>a</sup> Tractatus parte, ostendetur ?...

(2) « La religion appartient à l'ordre surnaturel; par conséquent, son œuvre essentielle n'est pas seulement de résoudre les problèmes naturels, mais d'élever l'homme à une vie supérieure à celle de la nature, en lui révélant des vérités et en lui donnant des secours qui dépassent non-seulement les forces, mais les exigences de ses facultés naturelles. » D. Am. de Margerie (contra D. Guizot), ap. le *Correspondant*, oct. 1866, p. 298.

(3) Unde jam rectè observabat card. du Perron (*Réplique au Roy de la*

Porro certè quisquis missionem Christi in totâ revelationum divinarum economiâ rite perpenderit (V. *Tr. de verâ Rel.*, n. 91), minimè dubitare poterint quin Christus intenderit religionem constituere *propriè dictam, supernaturalem et completam*, prout hic volumus. Tales enim erant jam, pro suo modo, religiones anteriores quas Christus perficere ac completere venerat, proindeque Christus aliquid terris afferre debuit, nedùm minùs, multò magis perfectum atque completum. Perfectò igitur debuit afferre non vagum et indeterminatum sensum, sed dogmata atque præcepta variis adaptata hominum necessitatibus; — nec tantum respectu finis illorum naturalis, sed et respectu finis supernaturalis generi humano jam ab initio præstituti ac præmonstrati; — nec tantum quæ strictè sufficerent ad hujus finis consecutionem, sed quæ convenienter etiam ad omnem vite humanæ directionem, sive in individuo, sive in communi, juxta normam ac Dei voluntatem. Secùs quippe, religio generis humani, nedum progressa et ampliata, regressa è contrâ et diminuta fuisset per Christum (1); quod certè missione ejus repugnat.

Ergo denique ex hac vel sola notione missionis Christi, statim inducere est non in solo sensu religioso aut caritatis affectu, nec etiam in perpaucis tantum sive naturalibus sive supernaturalibus veritatis consistere posse religionem quam ille in terris radicari ac subsistere intendit.

Et reverà 2<sup>o</sup> à posteriori, cuique Novum Testamentum perlegenti patet ea quæ Jesus mandavit et apud omnes gentes doceri atque servari tam strictè præcepit, non esse solum sensum religiosum aut caritatis affectum, nec unam tantum aut alteram veritatem sive naturalem sive supernaturalem, sed plura certè dogmata tum naturalia tum su-

*Grand' Bretagne*, ch. x, p. 43) : « L'unité des choses nécessaires pour le salut de chaque particulier, ne suffit pas pour la constitution de l'Eglise. Car il y a des choses de foi qui sont nécessaires de nécessité inévitable au corps de l'Eglise, qui ne sont pas nécessaires de pareille nécessité au regard de chaque particulier. »

(1) Scio equidem, juxta D. Renan, religionem eò magis perfectam esse quò magis vagam et indeterminatam, ideòque magnam se putat landem Jesu impetrare, dum dicit : «.... Jésus a fondé la religion absolue, n'excluant » rien, ne déterminant rien, si ce n'est le sentiment...» (*Vie de Jésus*, p. 446). Quis autem homo recti, ne dicam christiani, sensus hac ferat? Cæterum quām falsa talis assertio, patebit è mox dicendis.

pernaturalia, plura item præcepta etiam positiva; — quorum etiam multa certò indicata, etsi quandoque non sufficienter exposita, passim in Evangelio perspicere est; uti, v. g., dogmata Trinitatis, Incarnationis, Redemptionis, imò et quidquid dicant plerique Protestantum, Præsentiae realis, remissionis peccatorum sacramentalis, etc., — item præcepta faciendi penitentiam, suscipiendo baptismum, communicandi eucharistico Pani, matrimonium indissolubile servandi, et cætera quæ videre est apud theologos (1). — Item et Apostoli, voluntatum Christi, ut suprà dictum est (n. 3), authenticū declaratores, non jubent tantum ut *unum corpus et unus spiritus inter Christianos habeantur, sed et una fides, unum baptisma* (Eph., iv, 4, 5). Quod adeò districtè intendunt ut quemcumque à dogmatibus et præceptis traditis deflectentem extorrem christiana Religionis et fraternæ communionis habeant. Ita enim ab eis audire est (Tit., iii, 10, 11) : « *Hæreticum (id est qui in doctrinâ Christi seligit, aīq̄ē:) hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens quiu subversus est qui ejusmodi est, et delinquit quum sit proprio iudicio condemnatus.* » (2) — « *Quidam... circa fidem naufragaverunt; ex quibus est Hymenæus et Alexander, quos traditi Satanæ ut discant non blasphemare.* » (1 Tim., i, 19, 20.) — « *Licet nōs, aut angelus de celo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, et iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.* » (Gal., i, 8, 9) — etc., etc.

Item, et omnes ab omni antiquitate Patres unanimitatē fidei, in punctis etiam valde numerosis ac determinatis, quām acriter exegērint tanquam Religioni christiana essentialē, apprimē notum est.

(1) Mirum certè quām indubitanter pergit D. Renan modò citatus : « On chercherait vainement une proposition théologique dans l'Evangile (*Vie de Jésus*, loco modò cit., p. 446).... On chercherait vainement dans l'Evangile une pratique religieuse recommandée par Jésus. Le baptême n'a pour lui qu'une importance secondaire, etc. (p. 225). » — In hac stupendæ proterviae V. DD. Freppel : *Examen critique de la vie de Jésus*, par M. Renan, p. 92 et ss.

(2) Imò et S. Joannes in Ep. suā II<sup>a</sup>, que quidem à multis adversario-rum rejicitur (*Tr. de verò Relig.*, p. 169, et suprà, n. 5), hæc addit (v. 10) : *Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non afferit, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis*, etc.

En certè quæ totò cœlo distant ab illâ dogmatu et observantiarum indifferentiâ aut varietate, quam Protestantes quidam contendunt minime intentioni Christi repugnare, modò manserit caritas aut unum tantum vel alterum punctum fidei commune (1).

Ergo summatim tā ex expressis testimoniis quām ex ipsâ notione missionis Christi satis patet Christianismum, qualem Christus in terris radicari et subsistere intendit, in magnâ reapse consistere complexione dogmatu ac præceptorum, tum naturalium tum supernaturalium, quibus vita hominum tota regatur.

**Instabunt :** « Christus quidem potuit talem dogmatum ac præceptorum complexionem prædicare atque hominibus imponere tanquam de jure observandam, nec tamen adhibere media ut ipsa de facto subsistat. Etenim Religio primæva cum variis quibus consistebat dogmatibus atque præceptis, ita pariter hominibus imposta fuerat ut ad Christum usque observaretur; nec tamen, — ut suprà advertimus (n. 16), — media à Deo constituta fuere, quibus præveniretur ejus disperditio. Idem porrò de Christianismo esse potuit Dei consilium; proindeque ex eo quod Christus multa dogmata atque præcepta mundo observanda imposuerit, nequaquam inferri potest auctoritatē ad ea conservanda necessariam fuisse indubie ab Eo instituendam. »

**Resp. :** Nego paritatem; etenim 1° à priori, non eadem omnino fuit Religionis christiana destinatio ac Religionis primævæ. Religio primæva data fuit ad instaurationem generis humani, juxta consilium Dei, præparandam; Religio verò christiana, ad hanc instaurationem exsequendam. — Porrò ad præparationem pertinere potuit ut genus humanum sibimet permitteretur, et, quasi adolescens à domo paternâ profugus, suam dissiparet substantiam, paucis tantum fragmentis remnantibus, ad existentiam societatum terrestrium utecumque sustentandam, et salutem forsitan individuis plus minusve numerosis hinc et

(1) Quomodo præcisè determinari queant illa puncta circa quæ unanimitas ad fraternam inter Christianos communionem exigenda sit, nec potest requiri nec necesse est usquedum stabilita fuerit existentia auctoritatis infallibilis, sicuti posteà ostendemus. Ad nostrum verò præsentem scopum sufficit aliquam dari satis completam dogmatum ac præceptorum complexionem, quæ, de proposito Christi, certè sit in mundo radicanda et stabilienda.

inde procurandam (1) : ad ipsam verò instaurationem pertinere videatur ut corpus quoddam veritatis completum, sicutù modò exposuimus, apud genus humanum non modò vigeat, sed et integrum indesinenter permaneat, cuius ope jam his in terris Deo reddatur laus perennis, prout finis creationis requirit, et rectæ undequaque animæ non amplius absque congregationis ac coadunationis centro errantes relinquuntur. Hæc erit verè magna ac definitiva humanitatis instauratio, ad quam omnes quasi naturali sponte adspirant, quamque Prophetæ promittere et velut à longè premonstrare non cessarunt (V. v. g., Is., locis infrà cit.). Atqui tamen, si hæc per Christum non procuratur, aut semel procurata non conservatur, jam non ultrà expectanda est; siquidem nulla alia post Christum magna gratiæ Dei dispensatio speranda permittitur (2), sed de regno veritatis in terris et prophetiarum adimpletione desperandum est : — quod profectò non facilè admitti potest.

Et certè 2º à posteriori, tota Scriptura et Traditio clamat quòd regni ac religionis Christi non erit finis. Quem sanè quidem haberet, si ad vagum et indeterminatum religionis aut caritatis sensum vel ad infirma quædam et egena elementa, infra ipsam Religionem mosaicam et primævam, redigeretur. — Unde rursùs concludere est verisimiliter Christum, ad præveniendum tale Religionis suæ delinquium, reapse adhibitum fuisse illud unum quod convenire vidimus medium, id

(1) V. De Lugo, indic. in fine ultimæ Appendix ad *Tr. de verâ Rel.*

(2) Id quidem negarunt, variis temporibus, sectarii non pauci, uti Montanistæ, Mahumetani, *evangelii æterni* sectatores et ali in medio Avo pseudo-mystici, atque, inter ipsos Protestantes, recentiùs Swedenborgiani, Irvingiani, Mormones, omnes denique quovis tempore qui regno Christi upote imperfecto et transitorio aliud regnum, *regnum nempe Spiritus Sancti, regnum sanctorum in terra*, etc. subrogandum excogitarunt. — Contra hos autem, si opus foret, satis legere esset scripta apostolica in quibus Christi legatio ostenditur tanquam ultima *consummatio* legis primitivæ et mosaicæ (Hebr. passim, vii, viii, xii; item II Cor., iii, 41; Rom., x, 4; Eph., i, 10; etc.), tanquam definitiva provectione generis humani è statu infantiae in statum adultum (Gal., iii, iv; Eph., iv, 13, 14; etc.), ultra quem non aliud erit ac status *visionis beatificæ* in colis (I Cor., xiii; II Cor., v; Hebr., x; I Joan., iii, 2; etc). — Cfr Em. Franzelin : *De divinâ Traditione et Scripturâ*, Th. XXII, p. 228 — Cfr et Suarez : *De Leg. L. X, c. vii.*

est institutionem auctoritatis alicujus viventis et infallibilis : — et ita quidem factum probabit

**22. — Assertio 2º : Auctoritas in docendâ Christi doctrinâ infallibilis reverâ instituta est apud Christianos (4).**

Probari potest tum è Scripturâ, tum è Traditione (2).

### I.

**Probatur è Scriptura.** — Illud enim certe è Scripturâ probatur, quod habemus in Veteri Testamento *præfiguratum* et *prænuntiatum*, in Evangelio gradatim *præparatum* et *declaratum*, in Epistolis demum et Actibus *confirmatum* tum *verbis* tum *praxi* Apostolorum. — Atqui institutio auctoritatis infallibilis

1º in Veteri Testamento, *præfiguratur* per Synagogam,

(4) Hic utiliter legetur Bossuet : *Instructions pastorales sur les messes de Jésus-Christ à son Eglise.*

(2) Hic forsitan aliquis queret cur hoc punctum immediatè à Scripturâ et Traditione cuique probari posse speremus magis quām omnia ferè cætera Revelationis christianæ puncta (V. suprà n° 17).

**Resp.** hoc punctum 1º unum esse ex iis qua in Scripturâ et Traditione desertiūs exprimuntur, uti videre erit è dicendis, et 2º præsertim, enixiūs, ac expressiūs cæteris à naturâ humanâ requiri, uti videre est è dictis. Illa enim generalis Scripturarum et Traditionum difficultas qua, in cæteris punctis, simplices præsertim animos impellit ad dubitandum ac desperandum, magis è contrâ ad fidendum et credendum in isto incitat, quod nempe magis inde sentiunt sibi necessarium prouindeque à Deo verisimiliter provisum. In hoc itaque verè contingit ut intelligentia Scripturarum è conscientiâ necessitatis nostra adjuvetur. (Cfr Nicole : *Préjugés légit.*; préf., p. 10 et ss.; Prét. Réformés, t. I, p. 194 et ss.; — Fénelon : *Lettre Ve sur la Relig.*, 3º p.). Unde, etiamsi, superbìa movente, istud quidem punctum in controversiam, sicut et quodvis aliud, adduci potuerit et reverâ adductum fuerit à Protestantibus, faciliū tamen cæteris è Scripturâ et Traditione immediatè percipi poterit, ubicumque saltem anima sui ipsius conscientia inventa fuerit vel redditâ, qualèm in præced. assertione reddere sategimus (V. de hoc observata in *Præfatione*).

—quæcumque fuerit ejus auctoritas (1), — nec non per Prophetarum missionem continuam : secūs enim, eæ fuissent figuræ sine realitate futurâ, contra totam utriusque Testamenti analogiam (2). Insuper etiam ab ipsis prophetis non obscurè prænuntiatur, ut videre est præsertim ap. Is. LIV et LIX, 19-21 (3).

II<sup>o</sup> In Evangelio autem, illa tantæ molis institutio, præparata primum in Apostolorum vocatione et primâ ad Israëlem missione, — apertè tandem declaratur.

Præparata est, scilicet, 1<sup>o</sup> quum Christus quosdam speciatim invitavit ad sequendum se ut faceret eos pescatores hominum (Joan., 1, 35, etc.; Matth., IV, 18; Marc., I, 16; Luc., V, 1, etc.); et unum ex eis indixit vocandum esse Cepham (quod interpretatur Petrus) (Joan., I, 42); — deinde, quum populos edocatur elegit duodecim è discipulis, — primum verò Petrum, — quos et Apostolos nominavit (Marc., III, 13; Luc., VI, 13; Cfr Matth., X, 2); — ac iis seorsim aperire incœpit mysteria quæ cœteris in parabolâ proponebat (Marc., IV, 34; Matth., XIII, 11). — Postea etiam 2<sup>o</sup>, institutioni ita præparate jam præluditur, quum Christus duodecim Apostolos, itemque postea septuaginta discipulos, ad prædicandum domui Israël primum, mittit, et quidem cum magnâ jam tunc potestate : « Euntes, prædi- » cate..... Quicumque non receperit vos neque audierit sermones » vestros,..... amen dico vobis, tolerabilius erit terra Sodomorum » et Gomorrahæorum in die judicii quam illi civitati » (Matth., X, 7 — 12; Cfr Luc., X). — Eæ tamen adhuc ad tempus missiones; mox verò institutio ac missio definitiva apertè declarabitur.

Declaratur porro quandoquidem in Ecclesiâ constituitur quædam Auctoritas, cui infallibilitas in docendâ Christi doctrinâ promittitur, sicut et ipsi Ecclesiæ infallibilitas in eâdem doctrinâ profitendâ. — Atqui

(1) Utrum et ipsa Synagoga fuerit infallibilitate donata, disputatur inter Theologos. V. APPENDICEM II.

(2) V. Wiseman : Conférence IV; Autor. de l'Eglise.; ed. Migne, p. 778-781.

(3) Leg. ap. Wiseman, ibid., p. 782, 783.

1<sup>o</sup> Auctoritas quædam in Ecclesiâ constituitur ; etenim Petro imprimis, quum se præ cœteris promptum fecisset in confitendo Jesum esse Christum Filium Dei, ita à Jesu dictum est : « Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et » sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. » Et Ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram » ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævale- » bunt adversus eam (οὐ κατισχύσεται ἀπῆς). Et tibi dabo » claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super ter- » ram, erit ligatum et in cœlis ; et quodcumque solveris su- » per terram, erit solutum et in cœlis » (Matth., XVI, 17-19).

Hujus etiam declarationis ultima pars paulò post repe- titur et ad omnes simul Apostolos extenditur : quippe quum Christus commendasset suis ut offensi à fratre, ipsum sibi conciliare studerent seorsim primum ac deinde adhibitis testibus, hæc subdit : « Quod si non audierit eos, » dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi » sicut Ethnicus et Publicanus. Amen dico vobis : quæcum- » que alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo ; » et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in » cœlo » (Matth., XVIII, 17, 18).

En igitur pro fundamento Ecclesiæ quædam ponitur Auctoritas, auctoritas, videlicet, quæ tenebit claves regni cœlorum, et conscientias ligandi vel solvendi potestatem habebit. Et auctoritas hæc ita, ante Passionem, semel atque iterum prænuntiata, post Resurrectionem tandem confertur simul atque completur, quum ad Apostolos dicatur : « Sicut misit me Pater, et Ego mitto vos... Accipite » Spiritum Sanctum : Quorum remiseritis peccata, remit- » tuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt » (Joan., XX, 21-23); — ac demùm ad Petrum singulatim : « ...Pasce agnos meos... Pasce oves meas » (Joan., XXI, 15, 17), ut in frâ amplius exponetur.

Quinam sint præcisè hujus auctoritatis depositarii,

quænam ejus munia, quænam futura efficacia, posteà evolvetur : unum autem hic à limine advertendum est, scilicet :

*2º Infallibilitas in docendâ Christi doctrinâ promittitur huic Auctoritati, — et quidem dupli modo, indirecto nimirum et directo : etenim*

*1 — Ecclesiæ universim sumptæ promittitur directe infallibilitas in profitendâ doctrinâ Christi.*

Atqui infallibilitas non potest promitti Ecclesiæ universim sumptæ, in profitendâ doctrinâ Christi, quin eo ipso promittatur Auctoritati apud illam Ecclesiam, ut vidimus, constitutæ, in eâdem doctrinâ docendâ.

Ergo eo ipso promittitur indirecte huic Auctoritati.

*Prob. Maj.* ; siquidem Ecclesiæ universim sumptæ promittitur solemniter quod portæ inferi, id est juxta antiquum loquendi morem (1), potestates inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam. Prævalerent porro si Ecclesia pro doctrinâ Christi aliam profiteretur; nec jam certè dici posset Ecclesia Christi, cœtus Christi proprius, quæ doctrinam Ejus obliterasset aut cum alienis commisceisset doctrinis. Ergo, vi hujus promissionis, Ecclesia universim sumpta veram Christi doctrinam infallibiliter profitebitur.

*Prob. Min.* : Ipsa enim Ecclesia certè non potest subsistere separatim ab illâ Auctoritate super quam ædificatur, quæ tenet claves regni cœlorum, ligat aut solvit, peccata remittit aut retinet, pascit denique agnos et oves, sicuti modò expositum est. Atqui tamen necessariò separarentur, si Auctoritas illa doctrinam doceret ac teneri juberet diversam ab eâ doctrinâ quam Ecclesia infallibiliter profitetur, id est, diversam à verâ doctrinâ Christi.

(1) Qui provenire videtur ex eo quod principes seu judices olim ad portas civitatis sedebant, vel ex eo quod portæ præ ceteris civitatis partibus muniebantur.

Ergo, ex eo quod infallibilitas in profitendâ doctrinâ Christi directe promissa est Ecclesiæ, ita et Auctoritati supra Ecclesiam constitutæ promittitur indirecte infallibilitas in docendâ eâdem doctrinâ, saltem ubi eam imperativè docebit. — Rursùs verò

*2. — Infallibilitas in docendâ Christi doctrinâ promittitur etiam directe Auctoritati supra Ecclesiam constitutæ.*

Jam enim illud Christus in coenâ significaverat Petro primùm : « *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cibraret sicut triticum : Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua ; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* » (Luc., XXII, 34, 32). Quod sanè, ut posteà dicetur, non tantum de præsenti momento intelligendum est, sed et de futuro, utpote semper inter futuras Ecclesiæ cibrationes necessarium. — Deinde verò idem significat Christus omnibus Apostolis : « *Et Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum ; Spiritum veritatis, etc....* » (Joan., XIV, 16, 17 ; cfr ibid., 26 ; XVI, 13, etc.). — Illud demùm expressissimè declarat jam paulò ante Ascensionem, in solemni ac definitivâ Apostolorum missione : « *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ; docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis ; et ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* » (Matth., v. ult.). Certè nempe si unquam fieret, ut pro Ipsius doctrinâ aliam docerent ac teneri juberent, non illâ die Ipse cum eis foret nec proinde ita promittere potuisset (1). Ergo, promittere se semper cum eis docentibus affore, idem est ac promit-

(1) Id confirmatur ex eo quod per hanc in Scripturis frequentissimam Dei locutionem : *Ego ero tecum, semper significatur auxilium Dei efficax ad executionem datæ missionis, uti doctè probant Bossuet : 1<sup>e</sup> Instruct. sur les Prom., § V ; 2<sup>e</sup> Instr. § XV ; — Wiseman : Confér. cit. p. 785, 786, et præsertim 788, 789. — Cfr Gen., XLVI, 4 ; Exod., III, 12 ; Jerem., I, 17, 19 ; et alia ibid. cit. exempla.*